

facultatem dictum censum exigendi et percipiendi ac praesentandi dictis fratribus de omnium voluntate et consensu nostrum assensum libere absque omni recusatione et impedimento assignavimus et praesentibus assignamus, ita ut in anniversario quondam Johannis patris et Gerdrudis matris, parentum saepefati domini Nicolai decani, fratres minores et eorum conventus Misnae singulis annis perpetuis temporibus in die beatae Gerdrudis virginis cum maioribus vigiliis et missa defunctorum peragendo et sic de praefato censu mediam sexagenam gardianus qui pro tempore fuerit vel eius vices gerens ministrare tenebitur et debet fratribus praedictis in hunc modum, videlicet sacristae ut in vigiliis et in missa pannum prosternat et quatuor candelas ponat et incendat tres grossos, ceteris autem fratribus missas pro defunctis legentibus eo die duos grossos proportionabiliter dividendos, cantanti missam pro defunctis sex hallenses, diacono et subdiacono ut se albis praeparent cuilibet sex hallenses, gardiano et ceteris fratribus pro tempore in commemoratione ultima praesentibus quatuor grossos, pulsanti campanam sex hallenses et residuum de praedicta media sexagena, quantumcunque remanserit, pro pitantia et refectione fratrum in communi refectorio in esculentis seu poculentis iuxta gardiani et praesidentium eodem die dispositionem improtracte expendatur. In anniversario quoque praedicti domini Nicolai decani, postquam domino iubente de hac vita migraverit, fratres in suo conventu Misnae singulis annis similiter diem obitus sui cum maioribus vigiliis et missa defunctorum devote et perpetue exsolvere tenebuntur, pro quo etiam idem procurator in Zuzelicz reliquam mediam sexagenam fratribus, ut praefertur, in Misna ministrabit per omnem modum, prout supra in anniversario parentum suorum tactum est, nullo penitus immutato. Ipso vero domino Nicolao in vita existente fratres singulis annis in crastino decollationis sancti Johannis baptistae missam pro salute vivorum sollempniter decantare tenebuntur et extunc dictam mediam sexagenam, pro suo anniversario superius deputatam, salva satisfactione omnium, quibus pro huiusmodi sollempnitate observanda satisfaciendum existit, pro pitantia et refectione fratrum in communi refectorio, ut supra tangitur, dictus gardianus ministrabit. Nos igitur Fridericus minister gardianus et totus conventus praedicti huiusmodi dispositionem et ordinationem ratas et gratas habentes, piis et devotis praefati domini Nicolai decani precibus super his non immerito annuentes, praemissos anniversarios et quemlibet eorum singulis annis perpetuis utique temporibus in nostro monasterio suo tempore cum ipsa missa pro salute vivorum ad tempora tamen dumtaxat vitae eiusdem domini Nicolai decantanda per omnem modum ut praemittitur et in omnem eventum in antea peragendos et observandos esse statuendum duximus et praesentibus statuimus, et eos et quemlibet eorum taliter peragere et observare et singulas ministraciones pro quolibet illorum superius deputatas de praefato dumtaxat censu incommutabiliter ministrare et facere ministrari promittimus bona fide. Et ad illorum etiam omnium observantiam nos et posteris nostros quoslibet ex certa scientia efficaciter obligavimus et serie praesentium obligamus adiicientes, quod si unquam quod absit procedente tempore nos vel successores nostri in praemissis vel in aliquo praemissorum negligentes reperti fuerimus aut remissi, extunc totiens quotiens hoc fecerimus dictam sexagenam census pro huiusmodi negligentia seu desidia capitulo et fabricae ecclesiae Misnensis solvendam